



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0598

Martedì 04.08.2015

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale al X Congresso Eucaristico Nazionale del Perù (13-16 agosto 2015)

In data 17 giugno 2015 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Raúl Eduardo Vela Chiriboga, Arcivescovo emerito di Quito (Ecuador), ad Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del X Congresso Eucaristico Nazionale del Perù, in programma nella città di Piura, nel 75° anniversario della creazione della Diocesi omonima, dal 13 al 16 agosto 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Rev.do Don Carlos Coronado Antón, Parroco della Parrocchia “*San Miguel Arcángel*” della Basilica Cattedrale di Piura e Cappellano della Pastorale Universitaria dell’Arcidiocesi;
- Rev.do Don José Eddy Sandoval Purizaca, Parroco della Parrocchia “San Francisco Javier” a Sullana e Rettore del Santuario del “*Señor de la Buena Muerte* de Chocán” – Querecotillo – Sullana.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Francesco all'E.mo Card. Raúl Eduardo Vela Chiriboga:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratри Nostro

RADULFO EDUARDO S.R.E. Cardinali VELA CHIRIBOGA

Archiepiscopo olim Quitensi

“Sacramentalis natura fidei in Eucharistia suum culmen attingit. Ipsa pretiosum est fidei nutrimentum, occursum cum Christo praesenti reali modo per supremum amoris actum, donum sui ipsius quod vitam generat”: ita placuit Nobis in Litteris Encyclicis *Lumen fidei* (n. 44) scribere, peculiarem nexum inter fidem et Eucharistiam patefaciendo omnesque fideles ad diligentiorem usque eucharisticum cultum adhortantes.

Eucharistica enim pietas in vita spiritalique christianorum itinere oportet praecipuum obtineat locum atque Nos omnino laetamur dum sacri in toto orbe Pastores varia fovant incepta, ut hoc singulare Iesu Christi donum cibus cotidianus fiat uniuscuiusque fidelis, magna cum fide suscipiendus.

Grato igitur animo accepimus hoc anno diebus XIII-XVI mensis Augusti Piurae fideles Peruviae X Congressum Eucharisticum Nationalem esse celebraturos, tempus scilicet orationis, meditationis atque spiritalis renovationis.

Huius Congressus opportunitate data, Venerabilis Frater Iosephus Antonius Eguren Anselmi, S.C.V., Archiepiscopus Metropolita Piurensis, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum destinarem qui Nostro nomine huic Congressui praeesset atque verba spiritalis confirmationis omnibus adstantibus pronuntiaret. Scimus etiam ecclesiam Piurensis communitatem eodem tempore LXXV annos a sua institutione celebrare nec non conclusionem Anni Iubilaei Archidioecesis MMXIV-MMXV, cui titulus "LXXV annos Evangelii gaudium annuntiando".

Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui munus olim Archiepiscopi Quitensis studiose exercuisti quique aptus omnino videris ad huiusmodi missionem congruenter explendam.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM**, mandatis Tibi factis, ut diebus XIII-XVI proximi mensis Augusti, quibus X Congressus Eucharisticus Nationalis Peruviae celebrabitur, sacris ritibus Nostro nomine Piurae praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter significes. De Eucharistia loqueris eiusque pondere atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam renovandam.

Nosmet ipsi libentes animo Congressum iam nunc sequimur atque pro omnibus eius participibus, potissimum fidelibus dilectae Nationis Peruviana, divinas gratias imploramus.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, Archiepiscopum Metropolitam Piurensis ceterosque Praesules, fideles, publicas auctoritates qui Piuram ad Congressum advenient salutamus, Deum omnipotentem obsecramus ut omnes credentes in Christum, materno praesidio Dominae Nostrae a Mercede de Paíta - Piura suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius usque servare pergant.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus Eucharistici participibus transmittendam, dum a vobis omnibus preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus secundum divinam voluntatem diligenter adimplere valeamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Maii, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01287-LA.01] [Testo originale: Latino]
